

alios Fidei robustos, simulque ad Divum (1) Gratianum, & Eudoxiam sequestratim contra prædictum Eutychem Presbyterum diversas, ut diximus, Epistolas; & tanto in tempore prolata fuit, usque ad tempora Martiani Imperatoris. Igitur, ut diximus, cum multa altercatio de sancta intemerata Fide Carholica facta fuisset multis diebus, contigit, ut cum Episcoporum Concilio fuisset allatus prædictus Hæreticus, coram omnibus Sacerdotibus Theodorus Episcopus cum eo certare cœpit, ostendens singula volumina de Sanctis Scripturis, & diversa testimonia, quod Sancta indivisa sit Trinitas, & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unus esset Deus cœqualis (2) ex duabus manens naturis Dei, & hominis. Non consensit. Tunc auctoritate Apostolica demonstrata non resipuit. Ostensaque est Beati Petri Chrylogogi Epistola, in qua ex parte continebatur ita; *humanae leges intra XXX. annos inter nos omnes litigiosas interrimunt quaestiones, & tu circa quingentos annos cur tanto præsumis in Christum conviciare sermone? Verè oportet te humiliari ad Sanctum Romanum Pontificem, & diligenter ejus præcepta custodire, & non aliter asserere nisi, quod (3) Beatus Petrus Apostolus unus sit, & Apostolatus Cathedra Romanæ Sedis in carne teneat principatum.* Post hæc autem ipse Eutyches sævissimus in ipso cecidit Concilio; Sacerdotum verò cæteri post solutum Concilium unâ cum plebe omnium Christianorum Deo immensas gratias agentes, & maximas laudes Imperatori Catholicam, & certam (4) Fidem observantis (5) valedicentes abierunt lætantes.

CAPUT SECUNDUM.

*Petri Chrylogogi Ordinatio cælitus imperata.*

Igitur charissimi illud, quod residuum est de Chrylogogi Vita in medium proferamus, & inquiramus, quomodo, aut qualiter in tali Orthodoxa Sede non ex propriis ovibus, sed à subiecta Cornelienſe Ecclesia Ravennensis Cives Pontificem ordinarunt. Tempore namque illo, postquam defunctus est Beatissimus ante nominatus Præful Johannes, conveniunt universus cœtus Populi, unâ cum Sacerdotibus, sicut mos est Ecclesiæ ritu, & elegerunt sibi Pastorem; cumque (6) eo properantes Romam venerunt ad Sanctum Papam Apostolicæ Sedis, ut eorum ordinaret Electum, ne talis Ecclesia viduata esset Pontifice tantis diebus. Die verò crastina erant omnes parati, ut eum, (7) quem elegerant, Sanctis Apostolicis præsentarent aspectibus. Igitur nocte eadem apparuit ad Sanctum Sixtum Urbis Romæ Episcopum per visionem B. Apostolus Christi claviger Petrus, unâ cum Apollinare discipulo suo, & inter ambos stans B. Petrus Chrylogogus, & parùm B. Apostolus Petrus gradum figens, dixit ad Sanctum Papam Sixtum; vide hunc Virum, quem elegimus nos, qui stat in medium nostrorum, (8) ipsum consecra, non alium. Idcirco expergefactus Papa jussit valde introduci diluculo Plebem universam, & Virum, qui ordinandus erat. Intuitus est eum diutissime Sanctus Papa, & ait; ite, tollite eum de medio: hunc

non cognosco. Nisi adduxeritis mihi, qui ostensus est, alium non ordinabo. At illi cœperunt inquirere inter se mutuo, quæ esset hujusmodi res, ejectionisque omnibus foras, contristati sunt. Alia verò die jussit, ut Populus cum omnibus electis, (9) maximis, & mediocribus, & pusillis ante se introducti fuissent, & cum non vidisset formam Viri, quæ illi ostensa fuerat, ait; requirite ex vobis, forsitan non omnes venistis, & complures estis. At illi dixerunt, non ex nobis quempiam invenies Domine Papa. Ite, & egredimini foras; nondum Electum video. Tertia die denique iterum apparuit ad eundem Papam, nec vigilans plenerit, nec plenerit dormiens Apostolorum Princeps cum discipulo suo, sicut, & prius, & Sanctissimum Petrum Chrylogogum inter se tenentes, dicentes illi; diximus jam tibi, ne super alium manus imponas, nisi super hunc Virum, quia multis temporibus Ravennæ Ecclesia, sicut pinguedo Olei lucernæ illuminans, cum ab igne fuerit applicata, ita illius pingueſcet, & illuminabitur doctrinâ. Altera die introducuntur omnes, & non invenitur. Tunc Sanctus Papa Sedis Romanæ dixit ad Cornelienſem Episcopum, qui in illo tempore cum Ravennensibus Civibus Romam ierat; introduc omnes Sacerdotes, & Clericos tuos, fortè ibi inveniam Virum, qui mihi ostensus est. Cui ille cum supplicatione respondit, dicens; non habeo talem Virum, nisi unum Diaconum, qui præest omnibus rebus meis, super cujus manus ego servus tuus incumbo. Si jubes, ut in medium veniat, deferatur. Cui Beatissimus Papa; veniat non solum ille, sed & cæteri omnes, & si videro quem cupio, gratanter suscipio. At ubi ingressi sunt omnes, statim ut vidit Sanctus Papa Virum, qui sibi per visionem ostensus fuerat, conspexit eum, ut gemmam fulgentem, & hinc, atque illinc per spiritum cognoscens vultum B. Apostoli Petri, & Apollenaris Pontificis, Chrylogogi Petri dexteram, sinistramque tenentes, & ut hæc omnia Sanctus Papa conspexit, statim de sede surgens, & obviam illi quasi medium atrium ivit, libenti animo alterutrum se salutaverunt usque ad genua. At ubi subtrahere se S. Petrus Chrylogogus Papæ voluit, Beatissimus Papa non sinuit. Statim cœpit fremitum dare Populus inter se, & maximum clamorem ad cœlum. Alii dicebant, quia Neophytum non recipimus; non ex nostro fuit ovile, sed subito invadit Cathedram Episcopalem, quasi latro. Tollite, tollite eum de medio, non recipimus, quia de subiecta Ecclesia non licet ad (10) majorem transferre. Alii contra ajebant; iustus est hic homo, non rectè dicitis, suscipiamus eum, ut benè nostræ sit Civitati, quia prudentissimus est, & castissimus, & doctor bonus, omnique gloria dignus; ex nostra cognatione est, nihil in eum mali sentimus, timore Domini plenus; sine causa eum perdere vultis. Sanctus verò Sixtus III. Sedis Romanæ in tali altercatione Populum huc illuc divitum conficiens, palam omnibus retulit visum, ut superius diximus, quomodo per ammonitionem Apostolicam eum consecrare debuisset. Et si istum non vultis Patrem, à me recedite, & à Sancta Catholica Ro-

(1) repone Martianum. Bacch.  
 (2) hæc de Christo Domino aptè intelligenda. Bacch.  
 (3) ipsi. Mur.  
 (4) restam. Mur.  
 (5) observantibus. Mur.

(6) omnes cum. Mur.  
 (7) Virum. Mur.  
 (8) nostrum. Mur.  
 (9) Clericis. Mur.  
 (10) in. Mur.